

tam sed fictam esse existimes. Exitum deinde belli Corinthii § 69 respicit. Denique nonnulla (§ 57) a proposito plane abhorrere videntur, quae iure *E. Wolff* (quae ratio intercedat inter Lysiae epitaphium et Isocratis panegyricum, Berol. 1896) ad Isocratis imitationem rettulit. Quod si verum est, inter annum 380 a. Chr. et 371 (pugnae Leuctricae annum) compositam esse conicias. Primum ab Aristotele Rhet. III 10 p. 1411^a laudatur: ἐν τῷ ἐπιταφίῳ auctoris nomine non addito, tum ab aliis multis, qui Lysiae eam sine ulla suspicionis mentione attribuunt. Recentiores plerique post Reiskium abiudicant, nonnulli defenderunt ut Lebeau, *der Epitaphios des L. als echt erwiesen*, Stuttg. 1863; Thomaschik, *de L. epitaphii authentia verisimili Vrat.* 1887.

Or. III. Homines duo Theodotum adolescentem Plataensem ita amabant, ut alter, qui hanc causam dicit, beneficiis devinciret, alter Simo petulantia vexaret. Unde rixis exortis Simo adversarium noctu, cum domi frustra quaesivisset, aliunde evocatum verberibus aggressus est. Quamobrem alter, cum rem celari cuperet, aliquamdiu patria relicta cum Theodoto peregrinatus est. Verum ubi rediit rursus in illius insidias incidit, et postquam utrimque acriter pugnatum est, omnes qui intererant vulneribus levibus acceptis discesserunt. Quattuor annis post Simo adversarium, qui et opibus et auctoritate valebat, cum causa privata cecidisse comperisset, publice apud archontem (βασιλέα) de vulnere praemeditato reum fecit. Causa acta est apud Areopagum paucis annis post pugnam Coronensem (§ 45).

Or. IV. Viri duo cum sumptu communi servam emissent, qua promiscue uterentur, contentione exorta alter, qui Dionysiis choragus destinatus erat, alterum per ἀντίδοσιν ad fortunas permutandas provocat. Qui cum divitior esset metueretque ne causa caderet, pactum iniit, quo se munus subiturum puellamque adversario traditurum promisit, si ille sibi boum iugum, servos complures, fruges quasdam remisisset. Paulo postquam haec pactio rata facta est, is qui choragia functus erat ebrius cum aliis in alterius domum se contulit et inter rixas et verbera puellam abduxit. Quare